

Sechster Bericht

über das

vom Löbauer Schulverein gegründete paritätische

Progymnasium zu Löbau Wpr.

von Michaelis 1878 bis Ostern 1880,

womit

zu der auf den 23. und 24. März 1880 angesetzten

öffentlichen Prüfung sämmtlicher Klassen

die Wohllöblichen Städtischen Behörden, die Eltern und Angehörigen der Schüler, sowie alle Gönner und Freunde des Schulwesens und der Anstalt

im Namen des Lehrerkollegiums

ehrerbietigst einladet

der Rektor des Progymnasiums

Richard Hache.

Inhalt: 1. De participio Thucydidio. Pars I. Vom Rektor.
2. Schulnachrichten vom Rektor.

Löbau Wpr., 1880.

Druck der Universitäts-Buch- und Steindruckerei von E. J. Dalkowski in Königsberg.

1880. Progr. No. 29.

Ordnung der öffentlichen Prüfung.

Dienstag den 23. März 1880.

Vormittags von 9 bis 12 Uhr.

Choral.

Von 9—10 Uhr	Septima.	Deutsch:	Schröder.
		Rechnen:	Stertz.
- 10—11 -	Sexta.	Latein:	Holst.
		Naturkunde:	Schröder.
- 11—12 -	Quinta.	Französisch:	Schöttler.
		Geographie:	Langenickel.

Nachmittags von 3 bis 5 Uhr.

Von 3—4 Uhr	Quarta.	Latein:	Langenickel.
		Griechisch:	Holst.
- 4—5 -	Tertia.	Caesar:	Dr. Łabujewski.
		Geschichte:	Dr. v. Dąbrowski.

Mittwoch den 24. März 1880.

Vormittags von 9 bis 11 Uhr.

Choral.

Von 9—10 Uhr	Sekunda.	Mathematik:	Schöttler.
		Vergil:	Der Rektor.

Zwischen den Prüfungen der einzelnen Klassen werden Schüler derselben deklamieren. Die Zeichnungen und Probeschriften der Schüler sind in der Aula ausgelegt.

Nach der Prüfung der Sekunda Entlassung der beiden Abiturienten, Verlesung der Versetzungen und Verteilung der Censuren.

Das neue Schuljahr beginnt Donnerstag den 8. April, früh um 8 Uhr. Zur Prüfung und Aufnahme neuer Schüler wird der unterzeichnete Rektor am 5., 6. und 7. April in seiner Wohnung bereit sein. Jeder neu eintretende Schüler muss einen Impfschein, und falls er das zwölfte Lebensjahr überschritten hat, einen Wiederimpfungsschein, sowie, wenn er von einer anderen Anstalt kommt, ein vorschriftsmässiges Abgangszeugnis vorlegen.

Die Wahl und der Wechsel der Pensionen für auswärtige Schüler bedarf der Genehmigung des Rektors.

Löbau Wpr., 18. März 1880.

Hache.

De participio Thucydidio.

Si in Thucydidis libro multum ac libenter versatus animum induxi de participio quomodo ab eo usurpatum esset scribere, non hoc propositum mihi est ea quae a grammaticis de vario participii usu exposita sunt exemplis ex Thucydide depromptis atque collatis illustrare, sed illud modo meum erit eos locos quibus ille participio minus vulgari ratione aut utatur aut uti dicatur aliquanto uberius tractare. Nec vero in eorum verba juro, qui Thucydidem sua quasi peculiari grammatica egere contendant — quam quidem sententiam jam Poppo vir doctissimus et de scriptoris nostri interpretatione optime meritus in libro quem de Thucydidis Elocutione composuit, cum potissimum ad omnes quibus proprio dicendi genere Noster excellere videtur locos similes ex ceteris Graecae linguae scriptoribus cum nimia fere diligentia afferre studeat, de industria nec sine fructu aliquo impugnasse putandus est —: nam si quid apud Thucydidem repertum fuerit, quod prima specie cum communibus grammaticae legibus discrepare videatur, nos accuratius rem considerantes facile intellegemus eum a legibus illis non tam discedere quam earum fines proferre atque dilatare. Aliqua igitur ex parte, sed hac dumtaxat ratione jure dici potest grammaticae leges Thucydidem aliquoties excedere, illud autem tenendum est semper earum rationis eum memorem esse neque unquam ingenium, ut ita dicam, illarum offendere. Ac participii usus, quamquam et in una eademque enuntiatione et in connexu enuntiationum latius apud eum patet quam apud ceteros scriptores, certis tamen finibus terminisque, ultra quos non pertineat, circumscriptus est. Hos autem constituit ratio atque consilium, et quemadmodum nusquam alibi, sic ne in participii quidem usu quidquam, quod ratione careat omni, Thucydidi tribuendum esse puto: sed sicubi singulari modo participio usus fuerit, a natura ipsius participii explicatio erit petenda. Natura autem participii qualis sit si quaerimus: intellegitur ex nomine ipso.

Participium (μετοχή) enim nomen inde duxit, quod cum eo verbi notio nominis adjectivi forma effingatur utriusque orationis partis tanquam particeps est (μετέχει), id est exprimitur eo quaelibet actio aut conditio non generaliter, sed participio significatur eam actionem aut conditionem certi cujusdam hominis aut rei certo sive praesenti sive praeterito sive futuro tempore propriam esse. Est igitur quasi adjectivum verbale atque natura ejus attributiva: hanc igitur naturam quomodocunque participium usurpetur semper servari necesse est. Qualis autem participii usus sit, quoniam grammaticae satis docent, hoc tantum dicere mihi liceat: primum quidem cum adjectivum sit praedicati locum tenet cum apud verbum εἶναι et similia tum ita conjungitur cum permultis verbis, ut eam rem ad quam actio illorum referenda sit significet, atque sicut

omnia adjectiva articulo addito in substantivi nominis naturam transire potest, deinde cum verbi modus sit actionem exprimit, cui aliqua aut temporis aut rerum ratio cum actione quae verbo finito continetur intercedit, ita ut cum cetera quae rei accuratius describendae atque illustrandae sunt magis recedant actio principalis majore cum claritate ac perspicuitate emineat. Haec sunt participii usus tanquam extrema lineamenta, sed cum tota imago grammaticis expressa sit haec adumbratio sufficiat

Jam priusquam ad rem ipsam accedam, paucis exponendum mihi videtur, quem in perlustrando participii apud Thucydidem usu ordinem secuturus sim. Divisa est disputatio in duas partes. Ac primum quidem, cum in quaestionem vocarint, utrum Thucydides participio, subauditis ad unumquemque locum aptis verbi *εἰμὶ* formis, pro verbo finito usus esset necne, hac de re disputabo, deinde de participio quod verbo *εἰμὶ* praedicati vi praeditum adhaeret. Tum et eos locos, quibus apud Nostrum participium inusitatius cum verbis conjunctum reperitur, tractabo et confusionem illam duarum loquendi rationum, quae etsi Popponi aliisque haud displicuit, cum tamen naturae participii repugnet, rejicienda erit. Denique de neutro participii verba faciam, cui substantivi abstracti significatione addito articulo tributa latiorem tanquam campum aperuit Thucydides. Sic participio, quoad ad compositionem orationis nihildum confert, tractato dicendum erit in altera parte de coacervatione participiorum, qua a nullo fere scriptore Noster superatur, et ratio legum quibus hic quoque usus regitur exploranda.

Prima pars.

1.

Participium, quamquam Bernhardyus in syntaxi Graeca quattuor ex ipso Thucydide locos affert, apud scriptorem nostrum nusquam verbi finiti locum tenet, attributivae ipsius naturae convenienter: nam si hos quattuor locos accuratius perlustraverimus, apparebit participium apud Thucydidem sine verbo finito interdum usurpari neque unquam pro verbo finito. Quattuor, quae Bernhardyus in medium profert, exempla ex Thucydide ad sententiam comprobandam deprompta haec sunt. Ac primum quidem legitur:

I, 25, 4: *Κορίνθιοι δὲ κατά τε τὸ δίκαιον ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν, νομίζοντες οὐχ ἧσσον ἑαυτῶν εἶναι τὴν ἀποικίαν ἢ Κερκυραίων, ἅμα δὲ καὶ μίσει τῶν Κερκυραίων, ὅτι αὐτῶν παρημέλουν ὄντες ἄποικοι· οὔτε γὰρ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα οὔτε — πολεμεῖν.* c. 26. init. *πάντων οὖν τούτων ἐγκλήματα ἔχοντες οἱ Κορίνθιοι ἔπεμπον κτλ.*

Hoc loco Bernhardyus (Syntax. Graec. p. 470.) subaudito *ἦσαν* statuit *διδόντες* idem esse quod *ἐδίδουν*. Nimirum hac ratione sententia omni caret difficultate omniaque sunt plana et perspicua. Neque vero Bernhardyum recte statuisse existimo et quamquam hoc loco doctorum virorum interpretationes multum inter se differunt, tamen sententia facillime explicari alia ratione potest. Ac Reiskius quidem verbum *γὰρ* suspectum reddit, pessima sane criticam exercendi ratione usus, ut recte monet Thierschius ad I, 63, 3 (ubi Reiskius *καὶ* particulam delet), qua deleas, quae explicare non possis. Poppo, Matthiaeum (Hom. Hymn. in Apoll., v. 157, p. 28.)

secutus, statuit enuntiationem οὔτε γὰρ διδόντες arctissimo vinculo cum praecedenti παρημέλουν conjungendam esse, ad quam sententiam confirmandam ex Thucydide affert VII, 28: ἠπίστησεν ἄν τις ἀκούσας. τὸ γὰρ ἀποστῆναι κτλ. et VI, 24: ἔρως ἐνέπεσε· τοῖς μὲν γὰρ πρεσβυτέροις κτλ.: quibus locis verba, quae ante sententiam quae a γὰρ incipit posita reperimus, ἀπὸ κοινοῦ ut dicunt ad sequentia sumenda esse putat. Sed haec repetitio his locis non nisi aegre fertur neque nostro loco ita γὰρ praecedenti sententiae annecti potest. Multo autem magis quam hic ellipticus verbi γὰρ usus, qui non satis demonstrari potest, placet mihi Kruegeri interpretatio, qui anacoluthon hoc loco statuit, ut scriptor, cum post verba οὔτε γὰρ διδόντες sententiam verbis ἐμισοῦντο ὑπὸ Κορινθίων (vel simplicius κατηγοροῦντο sive ἐπετιμῶντο) concludere deberet, propter tot interpositas enuntiationes pergeret: πάντων οὖν τ. ε. ε. οἱ Κ. ἔπεμπον, ita ut quod sententiae subjectum est etiam mutata structura orationis subjectum factum esset. Quam explicationem, quae ei qui bene perspexit Thucydidis genus scribendi, ubi saepe sententiae orationis concinnitas cedit, haud improbanda videtur, Poppo ideo non rectam esse putat, quod sequantur verba ἐγκλήματα ἔχοντες οἱ Κ. ἔπεμπον pro ἐγκλήματα εἶχον: quae dubitatio quid sibi velit non intellego, praesertim cum verba οἱ Κ. non sine causa inter ἔχοντες et ἔπεμπον a Thucydide posita sint. Classenius vero, cum post διδόντες suppleat ἥμαρτον, τῶν προσηκόντων ἠμέλησαν, magis inclinat ad Popponis interpretationem, quippe qui idem παρημέλουν censeat Thucydidem additurum fuisse, nisi plura orationis membra intercederent. Praeterea affert Kruegerus similem locum: IV, 73, 5 et 74, 1, ubi ad prius subjectum οἱ Μεγαρῆς oratio verbis οἱ τῶν φευγόντων φίλοι Μεγαρῆς revertit, cui addere velim VI, 22 et IV, 40. Cf. Krueg. Stud. II, 130. sq., 215. sqq. Assentitur ei Campe. Observv. p. 22. sqq. (progr. Neu-Ruppin, 1842, a. d. XV. Cal. Apr.).

Sequitur alter locus:

II, 68, 4: οἱ δ' Ἀμφίλοχοι διδόασιν ἑαυτοὺς Ἀκαρνᾶσι, καὶ προςπαρακαλέσαντες ἀμφότεροι Ἀθηναίους, οἳ αὐτοῖς Φορμίωνά τε στρατηγὸν ἔπεμψαν καὶ ναῦς τριάκοντα· ἀφικομένου δὲ τοῦ Φορμίωνος αἱροῦσι κατὰ κράτος Ἄργος. Quo loco si cum Benedicto καὶ idem quod e t i a m esse putamus, sententia valde laborat: quamquam enim nominativus absolutus pro genitivo ferri potest, tamen sic non intellegendum est, cur scriptor verba καὶ προςπ. ἀμφ. addiderit, cum ita in medio relinquatur, utris Athenienses re vera auxilio venerint. Neque vero rem in medio relinquere vult Thucydides, cum dicat οἳ αὐτοῖς κτλ., unde apparet ab Atheniensibus utrisque Phormionem subsidio missum esse. Utrisque autem cum Phormio succurreret, necesse est Amphilochos jam antea Acarnanibus se dedidisse, actio igitur, quae participio προςπαρακαλέσαντες continetur, post actionem verbi διδόασιν fit. Itaque particula καὶ pro etiam sumpta corrumpitur sententia, ut, si post verbum τριάκοντα gravior interpunctio statuenda esset, Bernhardyus jure diceret προςπαρακαλέσαντες pro προςπαρεκάλεσαν positum esse. Sed post τριάκοντα cum Hermanno (Rec.) commate tantum distinguendum est, qui locum recte ita explicat: προςπαρακαλέσαντες - Ἀθηναίους, πεμψάντων τούτων αὐτοῖς Φορμίωνα, τοῦ δὲ Φ. ἀφικομένου — αἱροῦσιν. Quam rectam explicationem Poppo, Krueger., Arnoldius amplexi sunt, Haackius et Bekkerus lectionem vulgatam, qua colo post τριάκοντα interpungitur, retinuerunt. Commendant autem Hermanni sententiam et emendationis levitas et duo ex Thucydide ipso deprompta exempla (III, 55, 1: καὶ πρὸς Ἀθηναίους ἐκελεύετε τραπέσθαι ὡς ἐγγὺς ὄντας, ὑμῶν δὲ μακρὰν ἀποικούντων, et VI, 64, 2: τοὺς γὰρ ἂν ψιλοὺς τοὺς σφῶν καὶ τὸν ὄχλον τῶν Συρακοσίων τοὺς ἱππέας, πολλοὺς ὄντας, σφίσι δ' οὐ παρόντων ἱππέων, βλάπτειν ἂν μεγάλα). Inter quos et nostrum locum quamquam aliquid discriminis interest, cum nostro loco narratio progrediatur, ceteris duobus causae praecedentibus addantur,

tamen non est quod *δὲ* uncis includatur (ut placet Kruegero). Asperitas structurae, quam Bloomfieldius premit, ferri potest, praesertim cum *ἀφικομένου δὲ* oppositum sit verbis *οἵ-ἔπεμπον·* Quod denique scholiastes annotat: *ἀναπόδοτον, μᾶλλον δὲ καιναπόδοτον τοῦτο, εἰ οὕτω χρὴ φάναι,* hoc leve est: intellegit difficultatem loci nec tamen tollit.

Tertius est locus:

III, 38, 4: *καὶ μετὰ καινότητος μὲν λόγου ἀπατᾶσθαι ἄριστοι, μετὰ δεδοκιμασμένου δὲ μὴ ξυνέπεσθαι ἐθέλειν, δοῦλοι ὄντες τῶν ἀεὶ ἀτόπων, ὑπερόπται δὲ τῶν εἰωθότων, καὶ μάλιστα μὲν αὐτὸς εἰπεῖν ἕκαστος βουλόμενος δύνασθαι, εἰ δὲ μή, ἀγωνιζόμενοι τοῖς τοιαῦτα λέγουσι μὴ ὕστεροι ἀκολουθῆσαι δοκεῖν τῇ γνώμῃ.* Hoc loco, mirum in modum, non solum Bernhardyus ad verba *ἕκαστος βουλόμενος* supplet *ἐστὶ,* sed jam Abresch. in Dilucidd. (quibus, si quid tribuendum esset nomini, difficilioribus Thucydidis locis lucem attulisse eum crederes) Thucydd. p. 313. et Gottleber. et Gail. Recte autem Bauer., Poppo, Krueger. conjungunt haec omnia participia cum praecedentibus verbis *οἵτινες εἰώθατε,* ita ut participia appositive addita sint. Si Thucydides *βουλόμενοι* scripsisset, majore certe orationis aequalitate delectaremur, sed quam frequens est haec structura apud *ἕκαστος!* (Cf. Matthiae. Gr. Gr. §. 301. adn.) Ceterum comparetur Il. *ι*, 656. sq.: *Ὣς ἔφαθ', οἱ δὲ ἕκαστος ἑλὼν δέπας ἀμφικύπελλον Σπείσαντες παρὰ νῆα ἴσαν πάλιν.*

Ad quartum denique veniamus locum: IV, 40: *τοὺς γὰρ Λακεδαιμονίους οὔτε λιμῷ οὔτε ἀνάγκῃ οὐδεμιᾷ ἠξίουν τὰ ὅπλα παραδοῦναι, ἀλλὰ ἔχοντας καὶ μαχομένους ὡς ἐδύναντο ἀποθνήσκειν. ἀπιστοῦντές τε μὴ εἶναι τοὺς παραδόντας τοῖς τεθνεῶσιν ὁμοίους καί τινος ἐρομένου — ἕνα τῶν —, ἀπεκρίνατο αὐτῷ κτλ.* Dicit Bernhardy. *ἀπιστοῦντες* idem esse quod *ἠπίστουν,* idem Bauerus, et Dobree. *ἠπίστουν* vel reponi audacter jubet. Omnes igitur verba inde ab *ἀπιστοῦντες* usque ad *ὁμοίους* cum praecedentibus conjungunt, ita ut ex indicativo *ἠξίουν* oratio abiret in participium *ἀπιστοῦντες:* quod quidem post indicativum enuntiationis primariae, qui neque ex relativo pronomine neque particula pendet, fieri non potest. Repeti autem ante *ἀπιστοῦντες* mente *ἠξίουν,* id quod fieri vult Goeller., vetat oratio ipsa, quae ita nimis languesceret. Recte igitur Poppo et Krueger. *ἀπιστοῦντες* arctius cum sequenti *καὶ ἐρομένου* conjungunt et nominativum absolutum esse statuunt: hic autem nominativus a Thucydide sic usurpatus est, ut, si oratio subsequens concinnitatem servaret, pro *ἀπεκρίνατο αὐτῷ* ponendum fuisset idem quod latine: responsum tulerunt. Sequuntur hanc sententiam Arnold. et Bloomfield. Confirmatur autem hic inusitatior nominativi absoluti usus Thucydidis locis III, 34, IV, 80 aliisque. (Cf. ad III, 34 et IV, 80 interpretes.) Matth. Gr. Gr. §. 562, 1.

Vidimus igitur his quattuor locis nihil esse cur Bernhardyum sequamur, qui verbi *εἰμὶ* formis, quae quoque loco desiderantur, subauditis sententiam explicare conatus est. Simpliciorem scilicet quattuor illorum locorum explicationem vix inveneris: sed tamen non est quod, cum verba non statim nec sine labore a nobis intellegi possint, Thucydidem inusitatiore genere scribendi usum esse arbitremur. Atque etiamsi concedendum sit apud poëtas sic participium verbi finiti locum posse tenere — quamquam poëtarum locis, quos B. p. 471. l. c. in medium profert, diligenter perpensis semper intellexi participium alia ratione posse explicari, sive quod mutatam orationis structuram statuimus sive quod participium praecedentis enuntiationis verbo finito quocunque modo adjungitur —, tamen ne sic quidem temere Thucydides poëtarum licentiam imitatus esse existimandus est. Illo *εἰμὶ,* quod B. omnibus locis tacite intellegit, significari dicit hoc: is sum qui agam actionem participio expressam: quod si ad nostros locos transferamus, quis est qui neget durissimam sic fieri orationem?

Sunt autem praeter eos quos B. ex Thucydide attulit locos apud scriptorem nostrum alii pauci, qui Bernhardyum fugerunt: explicari vero possunt alia ratione. Legitur enim I, 36, 3: *βραχυτάτῳ δ'ἂν κεφαλαίῳ — τῷδ' ἂν μὴ προέσθαι ἡμᾶς μάθοιτε· τρία μὲν ὄντα λόγου ἄξια τοῖς Ἕλλησι ναυτικά, τὸ παρ' ὑμῖν καὶ τὸ ἡμέτερον καὶ τὸ Κορινθίων· τούτων δ'εἰ περιόψεσθε τὰ δύο ἐς ταὐτὸν ἐλθεῖν —, ναυμαχήσετε· δεξάμενοι δὲ ἕξετε κτλ.* Hoc loco certe simplicior esset oratio, si pro *ὄντα* positum esset *ἐστὶ,* praesertim cum sequantur *ναυμαχήσετε* et *ἕξετε,* sed ut ceteros locos ita ne hunc quidem sic explicare licet aliaque via interpretationis ingredienda est. Portus, Gailius, Benedictus ad participium verbo finito destitutum explicandum statuerunt verba *τρία μὲν ὄντα* esse accusativos absolutos et post *Κορινθίων* comma solum posuerunt: cui interpretationi, quamquam non usus loquendi, ut ait Poppo, attamen particula *δὲ* post *τούτων* videtur obstare. Itaque Poppo locum explicat ex *ἂν μάθοιτε* repetens *μάθετε* (Observv. critt. p. 211.), neque vero cum discendi, sed cognoscendi sive reputandi notione (Matth. Gr. Gr. §. 530, p. 758. dicit *μαθεῖν,* si eo significetur intellegere, cum participio conjungi). Sed quamquam sic *μανθάνειν* participium sequitur, tamen hoc loco, quo infinitivus *προέσθαι,* qui idem ex *ἂν μάθοιτε* pendet, praecedit, durius mihi videtur ex *ἂν μάθοιτε* repetere *μάθετε* imperativum alia insuper significatione. Quod cum perspexerit, Classenius quoque, quamquam Popponem sequitur, tamen addit primum orationis membrum, quod particula *μὲν* per se constat, si sententiae rationem habemus, alteri membro: *τούτων δὲ — ναυμαχήσετε — δεξάμενοι δὲ ἀγωνίζεσθαι* subjectum esse. Alterum gradum facit Krueger., qui commate post *Κορ.* posito structurae haud insolitae: *τρία ὄντα ναυτικὰ εἰ περιόψεσθε τὰ δύο,* quo magis ea quae sibi contraria sunt premantur, particulas *μὲν* et *δὲ* insertas esse dicit, unde factum esse, ut oratio mutationem subiret. Sed fateor neque Popponis neque Kruegeri explicationes neque Classenii, qui auream quandam hoc loco mediocritatem diligit, mihi satisfacere, et cum Krueger. scribat, an fortasse legendum sit: *Κορινθίων [αὖ] τῶνδε, εἰ —* ostendit ipse se sua interpretatione non satis esse contentum, atque si liceret difficilibus scriptorum locis conjecturis mederi, haec quidem conjectura multum abest ut pessima sit inter conjecturarum, quas nostra tulit aetas, acervos. Sed neque conjectura mederi licet neque verbo *ἴστε,* quod Reiskius post *ὄντα* inseri vult, et si participium pro verbo finito poni liceret, hoc certe loco optime fieret, ita ut mireris Bernhardyum hunc locum omisisse. Utcunque autem res se habet, hoc constat multo melius esse *ὄντα* cum insequentibus conjungere quam praecedentibus et Kruegeri priori sententiae plus esse tribuendum quam Popponis, cf. praeterea VI, 22: *πολλὴ γὰρ οὖσα οὐ πάσης ἔσται πόλεως ὑποδέξασθαι.*

Praeter haec quinque exempla, quibus participium pro verbo finito positum videretur, nisi alia ratione explicari possent, invenimus apud Thucydidem III, 44, 1: *οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω, εἰ μὴ ξυμφέρον.* Hic vere participium pro verbo finito positum est et supplendum *ἐστί,* sed *ξυμφέρον* prorsus adjectivi nominis naturam induit, ut sexcenties *εἰκός* (quippe quod jam participii naturam omnino deposuerit, id quod apparet ex V, 26, 2: *εὑρήσει οὐκ εἰκὸς ὄν*) pro *εἰκός ἐστιν* apud omnes scriptores legitur. Ceterum neutra participiorum omisso verbo finito reperiuntur *προσῆκον, πρέπον, ἐξόν, δέον,* quae omnia in adjectivi naturam transierunt, cf. Schoem. ad Isae. p 346. 443. et Thucyd. III, 59, 2: *ὡς πρέπον,* VI, 85, 1: *ὅ,τι ξυμφέρον,* ubi simul *ὅ,τι μὴ πιστόν,* VII, 73, 1: *ἐσηγεῖται ὡς οὐ χρεών,* I, 141, 4: *ταῦτα γὰρ δίκαια καὶ πρέποντα,* et hoc quidem Bernhardyo dandum, reliqua aliter explicanda.

Restat, ut tria ex Thucydide exempla commemorem, ubi verbum finitum *ἐστὶ* semper omittitur, ut Romani dicunt: haec Cicero, haec hactenus, quo de usu nihil amplius dicendum mihi

est. II, 54, 4: *ταῦτα μὲν τὰ κατὰ τὴν νόσον γενόμενα*, IV, 41, 4: *ταῦτα μὲν τὰ περὶ Πύλον γενόμενα*, VII, 87, 7: *ταῦτα μὲν τὰ περὶ Σικελίαν γενόμενα.*

2.

Praecedenti capite cum examinaverimus, num participium omissis unicuique loco accommodatis verbi *εἰμὶ* formis verbi finiti locum posset tenere, id quod in optima prosa oratione minime fieri posse intelleximus, convertamus nos nunc ad ea exempla, quibus participium cum verbo *εἶναι* ita conjunctum reperimus, ut nihil nisi simplicis verbi actionis circumscriptio esse videatur: cujus circumscriptionis non semper certae exstare videntur causae, nisi quod scriptor locis, quos infra afferemus, plerisque non actionem verbi, sed id quod actione verbi effectum est et actionis perennitatem et firmum quasi statum exprimere voluisse putandus est. Neque hic illud praetereundum est participium sic conjunctum saepius ad adjectivi naturam accedere, quà de re videas velim exempla quae mox proferam. Saepius autem quam apud Thucydidem haec circumlocutio exstat apud Herodotum. Sic inveniuntur non solum participium temporis praesentis et perfecti, sed etiam aoristi*). Ac primum quidem legitur:

I, 1, 1: *ἀκμάζοντές τε ἦσαν ἐς αὐτὸν (τὸν πόλεμον) ἀμφότεροι*, ubi non *ᾖσαν* legendum est, quae forma esset Homerica: nam quamquam hoc loco nonnulli libri *ἤισαν* sive *ᾖσαν* praebent, tamen ceteris omnibus locis *ᾔεσαν* apud Thucydidem invenitur. Orta autem videtur esse scriptura *ᾖσαν* ex eo quod *ἀκμάζοντες ἦσαν* conjunctum est cum *ἐς αὐτόν*. Neque vero ideo cum grammaticis hic haesitandum est, cum apud Thucydidem ipsum II, 8, 1: *ἔρρωντο ἐς τὸν πόλεμον*, IV, 55, 4: *ἀτολμότεροι ἐς τὰς μάχας ἦσαν*, VIII, 83, 1: *ἀρρωστότερον γενόμενον ἐς τὸ μισεῖσθαι* legantur, et quamquam *ᾔεσαν ἐς τὸν πόλεμον* saepissime dicitur, huic tamen loco difficultas nulla inest, si *ἀκμάζοντες ἦσαν* idem esse quod *ἤκμαζον* sive *ἔρρωντο* putamus, ita ut sententia sit: florebant ad bellum gerendum.

I, 38, 2: *εἰ τοῖς πλείοσιν ἀρέσκοντές ἐσμεν* et V, 41, 3: *ἦν ἀρέσκοντα ᾖ*, non circumlocutio statuenda est, sed *ἀρέσκων* induit adjectivi naturam, ita ut idem sit quod gratus. Cf. Pp. I, 1, 102. Oed. T. 274: *τάδ' ἔστ' ἀρέσκοντα*, Thucyd. I, 124, 1: *τὸ ταῦτα ξυμφέροντα εἶναι*, III, 44, 2: *ξυμφέρον ἔσεσθαι*, II, 35, 1: *ἐμοὶ δ' ἂν ἀρκοῦν ἐδόκει εἶναι*, IV, 98, 3: *εἶναι καθεστηκὸς*, V, 49, 3: *οὐ χρεὼν εἶναι*, VI, 25, 3: *πρέπον δοκῇ εἶναι.*

I, 99, 2: *ἦσαν δέ πως καὶ ἄλλως οἱ Ἀθηναῖοι οὐκέτι ὁμοίως ἐν ἡδονῇ ἄρχοντες*, ubi sunt qui cum Jakobsio conjungant *ἦσαν ἐν ἡδονῇ* (= *ἦσαν ἡδεῖς*) *ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ*, sive *ἡ ἀρχὴ αὐτῶν οὐκέτι τὴν αὐτὴν ἡδονὴν παρεῖχεν ὡς πρότερον*, i. e. erant Athenienses non amplius pariter jucundi, postquam imperium tenebant. Quae explicatio quamquam fieri potest, tamen simplicius Pp. et Krueg. (cf. ad Dion. p. 117.) locum ita interpretantur, ut *ἦσαν ἄρχοντες* dictum esse putent pro *ἦρχον*, ut sententia eadem oriatur: non amplius imperabant Ath. cum eadem sociorum voluptate. Ita jam Steph. hunc locum explicat: illorum imperium non amplius gratum et acceptum fuit. Videtur autem haec interpretatio adjuvari Diodori verbis XI, 70: *οὐκέτι τοῖς ξυμμάχοις, ὥςπερ πρότερον, ἐπιεικῶς ἐχρῶντο, ἀλλὰ βιαίως καὶ ὑπερηφάνως ἦρχον.*

I, 138, 3: *ἦν γὰρ ὁ Θεμιστοκλῆς βεβαιότατα δὴ φύσεως ἰσχὺν δηλώσας καὶ διαφερόντως τι ἐς αὐτὸ μᾶλλον ἑτέρου ἄξιος θαυμάσαι.* Pp. conjungit hoc loco *ἦν* cum participio *δηλώσας*,

*) IV, 15, 2. V, 32, 4. — I, 138, 3 melius alia ratione explicatur.

et Haasius vertit: demonstraverat, sed ita participium aoristi cum verbo *εἶναι* conjungi Thucydidis usus scribendi non patitur, cum omnibus ceteris locis, quibus circumlocutio exstat, aut praesens aut perfectum tempus verbo *εἶναι* dissolutum inveniamus*). Itaque recte cum Krueg. ante *βεβαιότατα* et post *δηλώσας* commata sunt ponenda (id quod jam Emperius, Observv. in Dion. Chrys. p. 35, voluit) et *καὶ* quod sequitur pro vel sumendum, ita ut sententia sit: Nam erat Them., cum ingenii vim manifestissime demonstrasset, vel maxime dignus admiratione.

II, 67, 1: *στρατεῦσαι ἐπὶ τὴν Ποτίδαιαν, οὗ ἦν στράτευμα τῶν Ἀθηναίων πολιορκοῦν.* Hoc loco non simplex circumlocutio exstat, sed *ἦν* significat versari, cui adjunctum est participio id quod exercitus, cum apud Potidaeam versaretur, agebat. Nec vero quidquam offensionis inesset, si scriptor posuisset *ἦν ἐπολιόρκει:* sic autem cum *οὗ* arcte cohaeret *ἦν*, i. e. ubi erat exercitus — obsidens. cf. VIII, 5, 3: *ἦν περὶ Δεκέλειαν ἔχων τὴν μεθ' ἑαυτοῦ δύναμιν*, et VIII, 11, 3: *παρῆσαν οἱ Κορίνθιοι βοηθοῦντες ἐπὶ τὰς ναῦς*, et similia saepissime.

II, 80, 2: *ἦσαν δὲ Κορίνθιοι ξυμπροθυμούμενοι μάλιστα τοῖς Ἀμπρακιώταις, ἀποίκοις οὖσιν.* Verbum finitum hoc loco cum gravitate quadam praecedere, ut Classenius vult, non intellego, sed nihil nisi circumlocutio est.

II, 93, 2: *οὔτε γὰρ ναυτικὸν ἦν προφυλάσσον ἐν αὐτῷ οὐδέν.* Hoc exemplum simillimum est ei quod supra (II, 67, 1) attulimus, ita ut *ἦν ἐν αὐτῷ* conjungendum sit et *προφυλάσσον* cum *ναυτικόν*, es waren keine Wachtschiffe dort.**)

III, 2, 1: *ἃ μεταπεμπόμενοι ἦσαν.* Hunc locum recte vertit Pp.: quibus advehendis occupati erant, ita ut continuitas actionis circumlocutione significetur. Hunc sequitur Krueg., et Haase. circumlocutionem versione: adhuc accersebant exprimit. Non opus est conjectura Cobeti V. L. p. 253: *μεταπεπεμμένοι*, cf. Herbst. pag. 37. sqq.

IV, 54, 2: *ἦσαν δέ τινες καὶ γενόμενοι τῷ Νικίᾳ λόγοι πρότερον πρός τινας τῶν Κυθηραίων*, colloquia — habita erant; hoc loco plusquamperfectum verbi *γίγνεσθαι* circumscriptum est, quo semel tantum V, 14: *ξυμφορᾷ, οἵα οὔπω γεγένητο τῇ Σπάρτῃ*, usus est Th.

V, 32, 4: *ἐπισπονδάς, αἳ ἦσαν Ἀθηναίοις καὶ Βοιωτοῖς πρὸς ἀλλήλους γενόμεναι*, quae — factae erant.

Hac scilicet circumlocutione Thucydides in tertiis personis pluralium perfecti et plusquamperfecti utitur, quippe quae formae nulla fere alia ratione exprimi possint, de qua re notissima ne verbum quidem addam***): quamquam interdum antiquae et apud Atticos scriptores rarissimae formae apud eum reperiuntur, ut III, 13, 4: *ἐφθάραται* et *τετάχαται*, cf. IV, 31, 1: *διετετάχατο*, V, 6, 4 et VII, 4, 7: *τετάχατο*. Cum vero Thucydides pro simplici perfecto vel plusquamperfecto circumlocutione utitur, non semper certa exstat causa, cur circumloquatur, nisi ita hoc significari putemus id quod actione perfecti effectum sit etiam praesenti tempore adhuc constare, quod quidem in solo perfecto vel plusquamperfecto fieri non prorsus necesse est. cf. III, 97, 3: *βεβοηθηκότες γὰρ ἤδη ἦσαν ἐπὶ τὸ Αἰγίτιον*, et etiam tum ibi erant. III, 68, 1: *ἐρωτῶντες, εἴ τι δεδρακότες εἰσίν* (cf. III, 52, 3: *ἠρώτων, εἰ — ἀγαθόν τι εἰργασμένοι εἰσίν*, et VI, 29, 1: *κρίνεσθαι, εἴ*

---

*) VI, 4, 5: *ὄνομα τὸ πρῶτον Ζάγκλη ἦν ὑπὸ τῶν Σικελῶν κληθεῖσα, ὅτι* —. Hic participium *κληθεῖσα* cum *ἦν* non accipiendum est pro *ἐκλήθη*, sed vertendum: nomen erat Z , appellata sic a Siculis, ita ut participio verba *ὄνομα ἦν* accuratius definiantur.

**) Cf. etiam IV, 109, 1: *ἔστι δὲ (ἡ Ἀκτὴ) ἀπὸ τοῦ βασιλέως διορύγματος ἔσω προὔχουσα*, prominet.

***) Pf. II, 49, 2. 78, 2. III, 52, 4. VI, 11, 3. 104, 1 etc. plusq. III, 3, 1. IV, 32, 1. 70, 2. V, 7, 3. 59, 3. VI, 100, 1 etc.

τι τούτων εἰργασμένος ἦν, infra εἴ τι τούτων εἴργαστο), cum supra eadem prorsus sententia legatur: III, 54: πεποιήκαμεν et c. 68. init. πεπόνθασιν. IV, 28, 3: πελτασταὶ οἳ ἦσαν ἐξ Αἴνου βεβοηθηκότες, et tum aderant. VI, 50, 3: κατασκέψασθαι, εἴ τι ναυτικόν ἐστι καθειλκυσμένον. VI, 102, 2: ἦν καταβεβλημένα. VII, 50, 4: ἦν γάρ τι καὶ ἄγαν θειασμῷ — προςκείμενος. VIII, 51, 1: πεπυσμένος εἴη. VIII, 100, 4: προαφιγμένος — ἦν. II, 4, 3: ἦν ξυνεστραμμένον. II, 6, 2: τεθνηκότες εἶεν. III, 52, 1: εἰρημένον γὰρ ἦν αὐτῷ (ctr. VIII, 69, 2: εἴρητο et οἷς ταῦτα προείρητο). II, 10, 2: ξυνειλεγμένον ἦν. II, 12, 2: ἦν γὰρ Περικλέους γνώμη πρότερον νενικηκυῖα, nisi hoc valet: erat P. sententia, quae prius obtinuerat. Haase. vertit: P. s. — obtinuerat. I, 67, 2: κατεβόων ὅτι σπονδάς τε λελυκότες εἶεν καὶ ἀδικοῖεν τὴν Πελοπόννησον, id quod H. bene vertit: quod foederum violatores exstitissent, quod non idem est quod violassent, cum Thucydidis verbis Atheniensium violatorum natura etiam in praesens tempus manens significetur. VI, 67, 2: τὸ ἥμισυ αὐτοῖς τοῦ στρατεύματος ἐν τῷ πρόσθεν ἦν τεταγμένον ἐπὶ ὀκτώ, ubi vero Krueg. et Pp. ἦν et τεταγμένον commate distinguunt, sequentes Fritzsche. Quaestt. Luc. p. 85. At cum Cl. et Ven. duo libri τεταγμένον ἦν ἐν τῷ πρ. praebeant, certe ἦν τεταγμένον conjungendum est. VII, 71, 2: ὁ φόβος ἦν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος οὐδενὶ ἐοικώς.

Multis autem locis, quorum nonnullos jam leviter tetigimus, verbum εἶναι non copulae vice fungitur, sed vim propriam habet et participio quidlibet additur sive attribuitur substantivo. Huc pertinent — ex permultis enim exemplis pauca attulisse satis erit — hi loci: VI, 97, 2: ἔστι δὲ (ἡ Θάψος) χερσόνησος, ἐν στενῷ ἰσθμῷ προὔχουσα ἐς τὸ πέλαγος. VIII, 69, 2: ἦσαν δὲ καὶ Ἄνδριοι —, ἐπ' αὐτὸ τοῦτο ἥκοντες ἐν τοῖς ἑαυτῶν ὅπλοις. VI, 67, 2, si Krueg. et Popponem sequimur. II, 27, 2: ἡ δὲ Θυρεᾶτις γῆ μεθορία — ἐστὶν, ἐπὶ θάλασσαν καθήκουσα. V, 76, 1: ἦσαν δὲ αὐτοῖς ἄνδρες ἐπιτήδειοι καὶ βουλόμενοι κτλ. (hoc loco, si VIII, 90, 6 respicimus, non opus est Krueg. conjectura οἱ βουλόμενοι; etiam VI, 50, 3: ἐνῆσαν ἄνδρες τὰ Συρακοσίων βουλόμενοι contra Krueg. est).

Atque reperitur εἶναι cum participio, cui articulus additus est, ita ut εἰμὶ ὁ ποιῶν simplex verbum ποιῶ aequet, de qua re cf. Bernhardy. Gr. Synt. p. 318. et Matth. §. 269. adn.: paucos tamen Thucydidis ipsius locos afferre liceat, quibus res aliqua ratione illustretur. VI, 64, 5: εἶναι δὲ ταῦτα τοὺς ξυνδράσοντας πολλοὺς Καταναίων, (VIII, 92, 1: κρύφα τὰ λεγόμενα ἦν, clam sermones illi serebantur; VIII, 92, 2: οὐδενὸς τοῦ κελεύσαντος), VIII, 68, 1: ἦν δὲ ὁ μὲν τὴν γνώμην ταύτην εἰπὼν Πείσανδρος, et ὁ μέντοι ἅπαν τὸ πρᾶγμα ξυνθεὶς καὶ — ἐπιμεληθεὶς (ἦν) Ἀντιφῶν, III, 22, 5: ἄλλο τι νομίσαντες τὸ γιγνόμενον εἶναι ἢ τὸ ὄν, III, 38, 1: ὅστις ἔσται ὁ ἀντερῶν, III, 83, 1: οὐ γὰρ ἦν ὁ διαλύσων οὔτε λόγος ἐχυρὸς οὔτε ὅρκος φοβερός.

Nec vero verbo εἶναι solum cum participio conjuncto actio verbi finiti circumscribitur, sed interdum etiam sic γίγνεσθαι cum participio reperitur, quamquam non ita saepe. Huc pertinent: III, 68, 3: περὶ δὲ Πλαταιῶν οἱ Λακεδαιμόνιοι οὕτως ἀποτετραμμένοι ἐγένοντο. Abresch. p. 345. dicit ἐγένοντο idem esse quod ἦσαν, parum accurate, sed verum assecutus, et Haase vertit: in Plataeensium rebus fuerunt aversi. Ceterum haec circumlocutio in optima prosa oratione rarissima est nec apud Thucydidem ipsum alibi reperitur, nisi fortasse duobus his modo locis:

II, 97, 1: ἐγένετο δὲ ἡ ἀρχὴ μέγεθος ἐπὶ μὲν θάλασσαν καθήκουσα ἀπὸ — ἐς —. Pp. vertit: quatenus ad mare pertinet, ut paulo post: τὰ μὲν πρὸς θάλασσαν τοσαύτη ἦν, ita ut καθήκουσα cum pleonasmo quodam sit dictum: sed videtur verbis ἐγένετο ἐπὶ θ. καθήκουσα nihil aliud significari nisi: ἡ ἀρχὴ μέγεθος ἐπὶ θ. ἀπὸ — ἐς — καθῆκε, quocum conferas Diodor. XII, p. 512: ἡ μὲν παραθαλάττιος αὐτῆς ἀπὸ τῆς Ἀβδηριτῶν χώρας τὴν ἀρχὴν ἔχουσα διέτεινε μέχρι τοῦ Ἴστρου ποταμοῦ.

VI, 31, 1: *παρασκευὴ γὰρ αυτη πρώτη ἐκπλεύσασα ἐγένετο πολυτελεστάτη δή.* Recte, Stephano auctore, Pp. locum resolvit: *αὕτη γὰρ (ἡ παρασκ.) ἐγένετο παρασκευὴ ἐκπλεύσασα πρώτη πολυτελεστάτη δή*, hic enim fuit apparatus primus sumptuosissimus profectus, i. e. hic enim app. primus sumpt. profectus est, ita ut *πρώτη* ad praedicatum pertineat et *ἐγένετο ἐκπλ.* idem sit quod *ἐξέπλευσεν.* Sed hic locus aliter ab aliis explicatur.

Saepius autem (cf. Hl. p. 181, de ing. et serm. Th.) apud Thucydidem exstat *γίγνεσθαι* conjunctum cum substantivo verbali pro simplici verbo, ita ut notio agentis personae majore cum severitate teneatur. Hoc est quod Dionysius (jud. de Th. p. 791. 795.) *τὸ ῥηματικὸν ὀνοματικῶς ἐκφέρειν* et *σχηματίζειν* appellat, non sine reprehensione (sed Thucydidem tamen imitatur). Reperitur autem: III, 23, 3: *εἴ τις κωλυτὴς γίγνοιτο*, et I, 35, 3: *κωλυταὶ γενήσεσθε*, i. e. *κωλύσετε.* V, 9, 7: *κωλυταῖς γενέσθαι.* VIII, 86, 3: *ἐδόκει κωλυτὴς γενέσθαι.* I, 132, 6: *μηνυτὴς γίγνεται.* III, 2, 2: *μηνυταὶ γίγνονται.* III, 59, 2: *ἱκέται γιγνόμεθα ὑμῶν.* VIII, 45, 2: *διδάσκαλος πάντων γενόμενος.* III, 59, 4: *σωτῆρας δὲ γενέσθαι ἡμῶν.* III, 40, 7: *μὴ οὖν προδόται γένησθε ὑμῶν αὐτῶν.*

Semel verbo *ὑπάρχειν* circumlocutionem effici videmus, V, 83, 1: *ὑπῆρχε δέ τι αὐτοῖς καὶ ἐκ τοῦ Ἄργους αὐτόθεν πρασσόμενον*, quod recte vertit Portus: nam nescio quid ipsis jam pridem Argis in ipsa urbe struebatur.

Cum *ἔχω* cum participio temporis praeteriti conjunctum reperitur, hac structura significatur, quod quis ea, quae participio continetur, actione consecutus sit, id ab eo etiamnunc teneri. Exstant hujus usus sex apud Thucydidem exempla: I, 29, 3: *ὥςτε Κορινθίους δήσαντας ἔχειν.* I, 30, 1: *Κορινθίους δήσαντες εἶχον.* IV, 113, 2: *ὃ εἶχον αὐτοὶ καταλαβόντες.* VI, 39, 2: *ἡ ὀλιγαρχία — ξύμπαν ἀφελομένη ἔχει.* VI, 76, 2: *Χαλκιδέας δουλωσαμένους ἔχειν τοὺς ἐν Εὐβοίᾳ.* VII, 34, 2: *αἱ νῆες τὸ μεταξὺ εἶχον ἐμφράξασαι.*

Notus est (Matth. §. 391.) usus ille participii dativi cum verbis *εἶναι* sive *γίγνεσθαι* conjuncti, qui etiam apud Thucydidem nobis occurrit: II, 3, 2: *τῷ πλήθει οὐ βουλομένῳ ἦν.* II, 60, 1. (IV, 28, 4). IV, 80, 1. IV, 85, 2. VI, 46, 2. VII, 35, 2. VIII, 92, 6. Omnibus his quoque locis, si rem accuratius exploramus, apparet circumlocutionem exstare, cum notio principalis participio contineatur: quamquam *οὐ βουλομένῳ μοί ἐστι* non plane congruit cum *οὐ βούλομαι*, cum altero, ut ita dicam, patiens, altero agens voluntas exprimatur.

(Adjectiva verbalia si in participiorum numero habere volumus, id quod nullis grammaticae legibus violatis fieri potest, saepissime cum verbo *εἶναι* conjunguntur, saepius etiam hoc verbo carent. cf. VI, 25, 2. 50, 4. 77, 2. 90, 1. I, 72, 1. 86, 2 VII, 73, 2. VIII, 2, 1. 48, 3. 52, 2. 65, 3. 90, 3.)

3.

Non meum est verba, quae cum participio conjungi grammatica docemur, exemplis ex Thucydide depromptis illustrare, quamquam mihi praesto sunt: nonnullas tantum rariores verborum cum participio structuras, quas apud Thucydidem inveni, liceat mihi exponere.

I, 32, 3: *περιέστηκεν ἡ δοκοῦσα ἡμῶν πρότερον σωφροσύνη νῦν ἀβουλία καὶ ἀσθένεια φαινομένη.* Ceteris quibus *περιίστασθαι* apud Th. invenitur locis semper conjunctum est cum praepositione *ἐς**) (I, 78, 2. 102, 5. IV, 12, 3 VI, 24, 2. 61, 4. VII, 18, 3. VIII, 1, 2.), ita ut non solum se convertere significetur, sed etiam simul in quid res aliqua se converterit. Hic autem

*) Quamobrem Steph. hic adnotat *φαινομένη* esse idem quod *ἐς τὸ φαίνεσθαι.*

cum Th. verbo *περιέστηκεν* participium adjunxit, structura eadem usus est, quae in verbis *τυγχάνειν* vel *φαίνεσθαι* reperitur, neque mutationem modo exprimere voluit, sed etiam quid hac mutatione tandem effectum esset. Requiritur sane hoc loco infinitivus, cum eventus exprimatur, aut *ὥςτε* cum infinitivo (et sic *περιίστασθαι* cum inf. conjunctum est apud Dem. 18, 218: *περιειστήκει τοῖς βοηθείας δεήσεσθαι δοκοῦσιν αὐτοὺς βοηθεῖν ἑτέροις*), sicut post *συμβαίνει* ponitur infinitivus, sed in ea quam habemus structura actio, quae cum verbo ut eventus verbi actionis conjuncta esse debebat, non effectus, sed notio, quae comitatur verbi actionem, adjuncta quasi putatur: id quod apud nostrates: Die Klugheit schlug um, indem sie sich als — zeigte, pro: sie schlug um und zeigte sich dabei, cum exspectemus: und zeigte sich darauf. Cogitantur igitur mutatio et nova quae inde exorta est conditio uno eodemque tempore facta, ut hoc re vera se habet. Atque etiam *συμβαίνει* sic cum participio apud Plat. Phileb. p. 272. et Menex. p. 280. conjunctum est, cujus ut verbi significationi verbi *περιέστηκε* notio similis est, ita etiam eandem quamvis insolitam habet structuram. Reperiuntur autem hujus structurae nonnulla exempla: Procop. II, p. 216: *περιέστηκεν* — *οὖσα*, et p. 256: — *φαινομένη*, Dion. Arch. 6, 43: — *φερομένη*, quamquam hi scriptores Thucydidis locum imitari videntur.

I, 73, 2: *τὰ δὲ Μηδικὰ καὶ ὅσα αὐτοὶ ξύνιστε, εἰ καὶ δι' ὄχλου μᾶλλον ἔσται ἀεὶ προβαλλομένοις, ἀνάγκη λέγειν.* Hoc loco structura exstat, quae in verbis quibus aut gaudium aut dolor significatur reperitur, cum *δι' ὄχλου ἔσται* sc. *ὑμῖν* idem quod *ἀχθέσεσθε* sive *ἀνιάσεσθε* est. Certe nihil haberet offensionis, si Th. dixisset *προβάλλεσθαι*, cum hoc verbi *δι' ὄχλου ἔσται* subjectum sit. Et reperitur *δι' ὄχλου ἐστὶ* eodem modo cum participio conjunctum Arist. Eccles. 888: *δι' ὄχλου τοῦτ' ἐστὶ τοῖς θεωμένοις*, Plat. Alc. I, 1: *δι' ὄχλου ἐγένοντό σοι διαλεγόμενοι.* Noster locus permultis interpretationibus tentatus est. Ac primum quidem dubitarunt, utrum *ὑμῖν* an *ἡμῖν* subaudiendum esset, et quamquam Popponi placuit *ἡμῖν* i. e. Atheniensibus, qui verba faciunt apud Lacedaemonios, supplere, rectius tamen mihi videtur *ὑμῖν* intellegi: quis enim, nisi eorum qui audiunt animos offendere velit, ita dixerit: Etsi n o b i s (dicentibus) hoc proferentibus taedium facit (neque futurum tempus *ἔσται* urgere velim, i. e. taedium faciet, quod futurum mihi parum accommodatum videtur), ne dicam sic Athenienses fateri se saepius res Medico bello ab ipsis gestas jactasse. (Nam quod ajunt Latini: longum est enumerare, aliud est.) Quae omnia locum non habent, si *ὑμῖν* suppleverimus.

Sed si *ὑμῖν* subaudimus, necesse est *προβαλλομένοις* non activo sed passivo sensu accipiatur, ita ut significet *προβάλλομαι* non objicio, sed mihi objicitur: quam Kruegeri sententiam etiam Bonitz. (p. 13.) et Passow. (Lexic. Graec.) secuti sunt. Neque huic explicationi obstat, quod *προβάλλομαι* ceteris quibus apud Th. invenitur locis (ex. c. VI, 92, 4) activam habet significationem. Quod Classenius mutavit *προβαλλόμενα*, hac mutatione non opus est, si Kruegeri interpretationem amplectimur, ex qua sententia oritur: Res Medico bello gestas et quaecunque nobiscum novistis ipsis, quamquam molestiora (valde molesta) vobis sint futura, si ea semper vobis (a nobis) exprobrantur, enumerare est necesse, — quamquam fateor, si *προβαλλόμενα* positum esset, sententia simplicius esset expressa: quamvis ea semper vobis exprobrata taedium allatura sint. Eadem autem fere simplicitas efficitur, si *προβαλλομένοις* pro *προβάλλεσθαι* positum esse existimamus. Denique *προβαλλομένοις* si ad Athenienses referimus, hoc verbum pro *λέγειν* varietatis causa positum esse statuere nos necesse est, ita ut satis esset supervacaneum, ut si nos diceremus: Davon müssen wir sprechen, obgleich es uns lästig ist dies vorzubringen. Simplicissima certe esset oratio, si verba exstarent: Davon müssen wir sprechen, obgleich es euch lästig sein wird,

wenn wir euch das stets vorhalten, et ad hanc sententiam Kruegeri explicatio propius accedit quam ceterae. Cf. etiam Matth. Gr. Gr. §. 555, adn. 2: *ἄμεινόν ἐστιν ἡμῖν πολεμεῖν* sive *πολεμοῦσιν* (haud dubie ex Thuc. I, 118, 3: *ἐπηρώτων τὸν θεὸν εἰ πολεμοῦσιν ἄμεινον ἔσται*)*); cf. II, 61, 1: *αἵρεσις γίγνεται εὐτυχοῦσιν.* III, 44, 2: *ξυμφέρον ἔσεσθαι θάνατον ζημίαν προθεῖσι.* II, 16: *χαλεπῶς ἔφερον καταλιπόντες.*

I, 120, 4: *οὐκ ἐντεθύμηται θράσει ἀπίστῳ ἐπαιρόμενος.* Vulgo verbum *ἐνθυμεῖσθαι* cum *ὅτι* conjunctum reperitur, sed hic et II, 62, 1: *ὅ μοι δοκεῖτε οὔτε αὐτοὶ πώποτε ἐνθυμηθῆναι ὑπάρχον ὑμῖν μεγέθους πέρι ἐς τὴν ἀρχὴν κτλ.*, et VI, 78, 1: *ἐνθυμηθήτω μαχούμενος,* verbum *ἐνθυμεῖσθαι* subsequitur participium, quod *ἐντεθύμηται* idem est quod *ἔγνωκα* = *οἶδα,* is nescit se efferri (der merkt, weiss nicht), cum *ἐνθυμεῖσθαι* cum infinitivo vel *ὅτι* conjunctum significet: erwägen, darauf bedacht sein. Atque tertio quem attulimus loco etiam infinitivus, *κολάσεσθαι,* sequitur, sed ad *κολάσεσθαι* relatum *ἐνθυμηθήτω* idem quod *νομιζέτω* est, der bedenke. Praeter tria illa exempla, ubi *ἐνθυμεῖσθαι* propius accedit ad notionem: einsehen, merken, wissen, duo tantum hujus usus reperiuntur, apud Andoc. IV, 18. et Xen. Hell. IV, 4, 19. Ceterum apud Thucydidem aliis locis *ἐνθυμεῖσθαι* cum accusativo et *ὅτι* (II, 43, 1) conjunctum et absolute (II, 60. VIII, 68.) reperitur. — Altero autem quem supra commemoravimus loco *ὑπάρχον* (II, 62, 1) neque, ut vulgo, pro accusativo absoluto accipiendum est, ita ut *ὑπάρχον ὑμῖν* idem sit quod: quamquam vobis licuit (sc. cogitare, *ἐνθυμηθῆναι*), ut I, 124: *ὑπάρχον ἡμῖν πολεμεῖν,* neque ita, ut Kaempf. (Quaestt. Thucydd. Neu-Ruppin. a. d. IX. Id. April.) voluit, qui *ὑπάρχον ὑμῖν μ. π. ἐς τ. ἀ.* conjungit, = cum de magnitudine et opibus ad obtinendum et amplificandum vestrum imperium agitur, sed cum, participio *ὑπάρχον* pro acc. abs. habito, verba *ἐς τὴν ἀρχὴν* haberent nihil quo pertinerent (nam si haec eodem modo quo *μεγέθους πέρι* ad *ἐνθυμηθῆναι* referre vellemus, aut supervacanea essent aut inusitate pro *τῆς ἀρχῆς μεγέθους πέρι* posita), *ὑπάρχον ἐς τὴν ἀρχὴν* conjungendum est et *ὑπάρχον* pendet ex *ἐνθυμηθῆναι,* ita ut sententia oriatur: quod vobis de magnitudine reipublicae ad imperium amplificandum adesse neque vos ipsi intellexisse (non: cogitasse) mihi videmini.

I, 141, 1: *διανοήθητε ἢ ὑπακούειν ἢ εἰ πολεμήσομεν μὴ εἴξοντες μηδὲ ξὺν φόβῳ ἕξοντες.* Certe si hoc loco *εἴκειν* et *ἔχειν* subsequerentur, nemo participium requireret, sed haec quae exstant verba, cum *γιγνώσκειν* statuendi vi subjecta nunquam cum participio conjunctum sit, verti non possunt, ut Classen. vult, statuite aut imperata facere aut cedere nolle. *διανοεῖσθαι* significat: durchdenken, überlegen; im Sinne haben, worauf denken, et conjungitur vulgo cum infinitivo, sed apud Plat. (Menex. p. 241. D.) etiam cum *ὡς* et participio futuri, quod *ὡς* Arnold. nostro loco desiderat. Quod Kruegerus profert *διανοήθητε μὴ εἴξοντες* vertendum esse: Seid gesinnt wie Männer, die nicht weichen werden (quod idem Arnold. vult), hoc sine particula *ὡς* fieri non potest Nec Haasio assentiemur, quippe qui vertat: statuite vel imperata facere vel num (an, Kistem. et Haack. ed. I.) bellum geramus, nulla nec-nec-habituri. Nam quamquam structura quae dicitur variata Thucydides saepissime utitur, ita ut hic pro *ἢ πολεμεῖν* posuisse eum putare possimus *ἢ εἰ πολεμήσομεν,* tamen hoc loco sic necesse esset duplicem variationem nos statuere, pro *ἢ πολεμεῖν* post *διανοήθητε: ἢ εἰ πολεμήσετε* et pro hoc *ἢ εἰ πολεμήσομεν,* et hac structura comprobata participia *εἴξοντες* et *ἕξοντες* ut satis supervacanea additamenta subsequerentur. Sed cum melius certe imperata facere *τῷ*

*) Cf. VIII, 92, 9: *εἰ ἄμεινον εἶναι δοκεῖ καθαιρεθέν,* supra autem: *εἰ δοκεῖ αὐτῷ ἐπ' ἀγαθῷ τὸ τεῖχος οἰκοδομεῖσθαι.*

bellum gerere opponatur quam *τῷ μὴ εἴκειν*, quid impedit quominus cum Poppone ad participia ex praecedentibus verbis *εἰ πολεμήσομεν* infinitivum *πολεμεῖν* suppleamus? Ita oratio et sententia simplex est et *διανοήθητε* significationem, qua cum infinitivo conjungendum est, „sich entschliessen“ servat. Est igitur hoc loco *διανοήθητε*, id quod naturae ipsi hujus verbi repugnat, non cum participio solo conjunctum, sed exstat ellipsis facile supplenda, et sententia est: Entschliesset euch entweder zu gehorchen oder wenn wir einmal Krieg führen wollen, dann mit dem festen Willen niemals zu weichen.

III, 82, 7: *ῥᾷον δὲ οἱ πολλοὶ κακοῦργοι ὄντες δεξιοὶ κέκληνται ἢ ἀμαθεῖς ἀγαθοί.* Hoc loco quominus cum Kruegero *ὄντες κέκληνται* connectamus, ut sententia sit: vulgus facilius nefarios callidos (gewandte Schelme) se dici patiuntur quam bonos simplices (eingebildete Biedermänner)*), ita ut *κέκληνται* cum participio conjunctum sit, grammaticae leges (Matth. §. 420, adn. 1, §. 532.) obstant nec simile quidquam (Matth. § 550.) reperitur. Nec Kruegerus scholiastam ad sententiam suam confirmandam afferre debebat: quem apparet cum dicat: *ἡδέως ἔχουσιν οἱ ἄνθρωποι κακοῦργοι εἶναι καὶ δεξιοὶ καλεῖσθαι ἢ ἀμαθεῖς καὶ ἀγαθοί*, subtilius discernere inter *εἶναι* et *καλεῖσθαι* voluisse, quam participio *ὄντες* Thucydidis fieri putabat. Adde quod ex Procop. 293, 36 hujus loci imitatione (*ῥᾷον γὰρ οἱ θρασεῖς εὔτολμοι κέκληνται ἢ οἱ προμηθεῖς ἀσφαλεῖς*) conjiciendum est *ὄντες* non pertinere ad *κέκληνται*. Denique si Kruegeri sententia esset recta, Thucydides probabiliter verba non collocasset *κακοῦργοι ὄντες δεξιοὶ κέκληνται*, sed *κακοῦργοι δεξιοὶ ὄντες κέκλ.* Subaudito igitur *ὄντες* ad *ἀγαθοὶ* (non ad *ἀμαθεῖς*, ut Arnold. vult) sententia est: malunt cum nefarii homines sint callidi (sollertes) dici quam cum boni sint simplices (tardi). Hanc sententiam scholiastes quoque, quem supra commemoravimus, planiorem reddere studuit, cum solveret: malunt homines nefarii esse et sollertes dici quam boni esse et simplices appellari. Apparet igitur sententiam eandem quae exstat apud Kruegerum oriri, grammaticae legibus non migratis. (De perfecto cf. Buttm. Gr. Gr. §. 113, adn. 12: facilius sibi comparant et servant nomen.)

VI, 6, 4: *ἐψηφίσαντο πρέσβεις πέμψαντες πρῶτον ἐς τὴν Ἔγεσταν περί τε τῶν χρημάτων σκεψομένους εἰ ὑπάρχει, — καὶ τὰ — εἰσομένους.* Hic unus modo liber praebet *πέμψαι*, certe ex grammatici mutatione. *ἐψ. πρ. πέμψαντες* verti non potest: decretum fecerunt, postquam legatos miserunt, nam et post decretum factum legati missi sunt neque ab Atheniensibus aliud quidquam decretum est nisi legatos mittere, adde quod, si legatis missis, ut res quomodo Egestae se haberent explorarent, priusquam illi Athenas redissent ea quae viderant relaturi, de Siciliae rebus quid consilii cepissent, legatione certe non opus fuisset. Constat igitur participio *πέμψ.* non actionem exprimi, quae actioni verbi *ἐψ.* praecedit, sed quae hanc subsequitur. Sed ubi est nunc infinitivus, qui semper post decernendi verba ponitur? *ναῦς* (!) *ἐπαμῦναι***), quod Haack. intellegit et Schoemanno (Observv. p. 15.) probatur, aut simile quid supplere non licet: neque enim Athenienses reditu legatorum non exspectato opem ferendam decrevisse putandi sunt. Arnold. supplet infinitivum ex contextu orationis: decreverunt, quando legatos misissent, postea ex iis quae hi renuntiassent capere consilium: at vix Thucydides ut haec omnia subaudiremus postulaverit. Facillime quidem locus noster sanaretur, si pro *σκεψομένους* positum esset *σκέψασθαι*, quae quidem mutatio non magis vituperanda esset quam Bekkeri (ex unius quem diximus

---

*) Sic paene jam Heilm.: Sie wollen lieber verschmitzte Bösewichter als bei der Tugend einfältige Leute heissen: plane congrueret cum Kruegero, si posuisset: als einfältige Tugendhafte.

**) Ex §. 3. ejusd. cap.: *τοὺς Ἀθηναίους ἐδέοντο σφίσι ναῦς πέμψαντας ἐπαμῦναι.*

libri emendatione) et Kruegeri *πέμψαι* pro *πέμψαντες*: sed difficilibus locis, praecipue iis, qui librorum omnium auctoritate defenduntur, emendatione mederi nihil aliud est nisi de grammatica interpretatione loci desperare (reperiuntur quidem apud Thucydidem desperati qui dicuntur loci). Fortasse interpretatio haurienda est ex Diodor. XII, 83: *ἔδοξε τοῖς Ἀθηναίοις ἐκπέμψαι τινὰς τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν καὶ διασκέψασθαι τὰ κατὰ τὴν νῆσον καὶ τοὺς Ἀθηναίους*, i. e. decreverunt legatos mittere et explorare, cum nostro loco dictum sit: decreverunt legatis missis qui explorarent — (sine inf. seq.). Videtur enim mihi *τὸ* explorare, quod apud Diodorum ad Athenienses relatum est, cum recte et ratione ad legatos modo pertineat, oratione progrediente ad legatos grammatice quoque a Thucydide relatum esse. Similis quidem structurae neglegentia reperitur IV, 37, 1: *γνοὺς — ὅτι εἰ καὶ ὁποσονοῦν μᾶλλον ἐνδώσουσι, διαφθαρησομένους αὐτούς*. Hoc loco vera fortasse duarum loquendi rationum confusio (ex *ἐψ. πρ. πέμψαντες σκέψασθαι* et *ἐψ. πρ. πέμψαι σκεψομένους*) exstat, quam aliis locis sine causa invenerunt: sic enim ut verba sunt ita, ut omnino grammaticae legibus satisfaciamus, vix explicari possunt.

